Alius bonum bene inchoat · melius consummat · Alius in ma
lis actibus a primaeva aetate se deicit · Et in eis demum operibus semper
seipso deterior consummatur; Tanto ergo sibi unusquisque solli
cite metuat · quanto ignorat quae restat · quia quod saepe di
cendum est & sine oblivione retinendum · Multi sunt vocati ·
pauci vero electi · Sed quia nonnumquam mentes audientium
plus exempla fidelium · quam docentium verba convertunt ·
Volo vobis e proximo dicere · quod corda vestra tanto formidulosius
audiant · quanto eis hoc de propinquo sonat · Neque enim res
longe ante gestas dicimus · Sed eas de quibus testes existunt ·
eisque interfuisse se referunt memoramus;

TRES PATER MEUS SORORES HABUIT quae cunctae tres
sacrae virgines fuerunt · quarum una Tarsilla · alia
Gordiana · alia Emiliana dicebatur · Uno omnes ardo
re conversae · uno eodemque tempore omnes sacratae ·
Sub districtione regulari degentes · in domo propria soci
alem ducebant vitam · Cumque essent diutius in eadem con
versatione · coepit cotidianis incrementis in amore conditoris
sui Tarsilla & Emiliana succrescere · & cum solo hic essent
in corpore · cotidie animo ad aeterna transire cupiebant · At
contra Gordianae animus coepit a calore amoris intimi per
cotidiana detrimenta tepescere · & paulisper ad huius saeculi
amorem redire · Crebro autem Tarsilla dicere Emilianae so
rori suae cum magno gemitu solebat · Video sororem nostram
Gordianam de nostra sorte non esse · perpendo enim quia foris de
fluit · & ad id quod proposuit non custodit; Quam curabant
blanda cotidie redargutione corripere · atque a levitate mo
rum ad gravitatem sui habitus reformare · Quae quidem re
sumebat vultum subito gravitatis · Inter verba correptionis ·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0170